

4778 [= 4052] prope Suessam in fronte ecclesiae campestris S. Viti.

C · VICASIVS · C · F
ex TESTAMENTO

De' Masi p. 178; non legitur in ed. reiecta.
Genuina videtur.

LVIII. TEANVM SIDICINVM (*Tiano*).

Sidicinos sive Teanenses (nam quamquam Livius 8, 22 scribit Sidicinatorum agrum aliquando ad Fregellas usque pervenisse, certe sub Romana ditione Sidicini unicam eam rem publicam habuerunt, unde, fere ut in Teatinis Marrucinis, modo utrumque nomen ponitur, modo alterum utrum, ut Sidicinos pro Teanensibus dixit Cicero Philipp. 2, 41, 107) natione Oscos fuisse Strabo ait (5, 3, 9 p. 237) nummique eorum confirmant antiquiore tempore inscripti Osce *Tianud Sidikinud* (Friedlaender *osk. Münzen* p. 1; Sambon *recherches* p. 175). Cum a Samnitibus bello peterentur neque in Campanis proxime cum Sidicinis coniunctis satis firmum praesidium esset, pariter atque hi Sidicini c. a. 412 in tutelam Romanorum sese tradiderunt. Nam ita fere accipienda videntur esse quae Liviani annales ad a. 411 (7, 29) et 413 (8, 1, 2) referunt parum fida et sine dubio magnopere interpolata. Deinde cum a. 417 et deinceps Sidicini cum Calenis adversus Romanos bellum gessissent adeoque contra eos Samnites concitavissent (vide supra p. 451), mox ipsi Romani quodammodo facti sunt pariter atque Campani. Ad eos enim opinor pertinet quod ait Velleius 1, 14 anno 420 (hunc enim intellegit, quamquam errore posuit a. 433) una cum Campanis datam esse civitatem sine suffragio *parti Samnitium*. Nam de Samnio ipso cum ea aetate cogitari non possit, Sidicini utpote Osci Samnitibus recte adnumerantur. Neque dissimilis fuit condicio Teanensium et Campanorum, quamdiu horum res publica stetit, melior tamen Teanensium, quippe a quibus minus Romani sibi timerent. Teanenses enim non aeneos nummos solos percusserunt, sed argenteos quoque eosque formae maximae pariter atque Caleni. Ita illud quoque facile explicabitur, cur Teanenses posteriore tempore nummos Osce inscribere desierint substituto vocabulo Latino *Tiano* (vol. I n. 21c), quod genus nummorum cunsum est inter bellum Pyrrhicum et Hannibalicum; scilicet sicut Cumanis petentibus concessum est, ut Latina lingua uterentur (v. p. 351), simile ius Teanenses quoque impetraverunt. Omnino posteriore tempore condicio Sidicinatorum optima fuerit necesse est, nam equiparantur plane Teanenses Calenis, sive spectamus ius nummorum feriendorum, ut modo vidimus, sive fidem quam Romanis praestiterunt bello Hannibalico, qua de re iam monuimus in praefatione Calenarum. Marsico quoque bello Teanenses cum Romanis steterunt (Appianus b. c. 1, 45). Si vera sunt quae in indice coloniarum p. 238 (cf. vol. II p. 187) scripta sunt: *Teanum Siricinum: colonia deducta a Caesare Augusto: iter populo debetur p. LXXXV: ager eius militibus metycis nominibus IIICL limitibus Augusteis est adsignatus*, coloniam eo deduxit Augustus, idque inde aliquatenus confirmatur, quod Plinius secutus fere chorographiam divi Augusti 3, 5, 63 Teanum inter colonias Campanas recenset. Sed obstat quod in titulis n. 4781. 4799 appellatur *colonia Claudia Firma Teanum*, non tam quod adest Claudiae nomen, quam quod abest Iuliae Augustaeque. Si vere Claudius primus coloniam eam deduxit, ratio magistratuum explicari potest; nam reperiuntur et municipio apti *IIIviri iure dicundo* n. 4796. 4798, qui recte attribuentur aevo Claudio anteriori, et coloniae proprii *duoviri* (n. 4789; *iure dicundo* n. 4797; *quinquennalis* n. 4790 cf. n. 4795) in titulis aevi posterioris. Eiusdem aetatis sunt *praefectus rebus divinis* (n. 4797), qui alibi vix redit, et *tribunus plebis* municipalis (n. 4797) item unicus (nam Venusinus vol. IX n. 438 Latinae coloniae

est) et dignus ingenio Claudiano. Sacerdotes inveniuntur *pontifex* n. 4789. 4790, item mulieres *sacerdos Cereris publica prima* (n. 4794) vel *summa* (n. 4793) et *sacerdos Iunonis populonae* (n. 4789. 4790) sive *ministri sacrorum publicorum praesidis Iunonis populonae* (n. 4791). *Augustalium* denique memoria superest n. 4792. — De tribu mirum est nondum constare; nam extranei tituli deficiunt nec sufficiunt tenuia indicia quae praebent domestici n. 4786. 4820. 4906. Omnino quod Strabo scribit omnium municipiorum ad Latinam Teanum maxime florere (5, 3, 9 p. 237: *μεγίστη οὔσα τῶν ἐπὶ τῇ Λατίνῃ πόλει*) solum dignum, quod cum Capua aliquatenus componatur (5, 4, 10 p. 248: *τὰ γὰρ ἄλλα πολίχνια νομίζοιτ' ἂν κατὰ τὴν σύγκρισιν πλὴν Τεάνου Σιδικίνου· καὶ γὰρ αὕτη ἀξιόλογος*), ei laudi tituli parum respondent Calenis et numero et dignitate inferiores. Nec sola negligentia incolarum in ea re inculpanda est; nam per universas has regiones aequabilis socordia regnat.

Perpauca ex Teano agroque eius habent auctores saec. XV, scilicet scriptor MARVCELLIANI libri et IVCVNDVS et is a quo venit codex DE PRETIS Urbinas et SANVTVS; quibus si addideris descriptos a STEPHANONIO quique reperiuntur in Fabii GIORDANI historia Neapolitana ms. neque tamen inde a quoquam editi sunt, habes fere qui Teani emergerunt tituli ad finem usque saec. XVII. Eo tempore aliquot publici iuris fecit Gulielmus BURLAMACCHI ex congregatione matris dei epistula *di alcune antichità della città di Teano*, quam scripsit Neapoli die extremo a. 1694, edita per Pacichellium *lett. fam.* 1 (1695), 455—464. PRATILLIO deinde apparet non sperendam syllogen titulorum Teanensium traditam esse a cathedralis ecclesiae Teanensis decano Iohanne Baptista de Quattro (via App. p. 225), cui ipse de suo quaedam admiscuit eadem cautela usus de qua dixi in Campanis (p. 373), ut excusationem praeciperet si quis lapides frustra quaesivisset. — In separandis genuinis a Pratillianis aliquantum adiuvit me liber peregrinatoris Angli qui Teanum adiit HOARI (*classical tour* I, p. 249 sq.) editus a. 1790; qui infelicem Pratillii librum in manibus quidem habuit et ex lectionibus eius plerumque pendet, neque tamen ideo reiciendum est viri probi testimonium ubi lapidem se vidisse affirmat. — De Costanzo hodeporico suo ms. f. 299 seq. inseruit sibi transmissam epistolam de tribus titulis nuper reperlis Teani ab Angelo LANFREDIO canonico theologo in cathedrali Teanensi 'equiti Richardo Hoari in Anglia' scriptam III k. Iul. 'fere duos annos' postquam Teanum adiit Hoarius, qui in edito libro Lanfredianis his usus est, ut eorundem copia Broccolio quoque fuit. — PEZZVLLI liber de Teano editus a. 1820 in titulis totus pendet ex Pratillio. — Ecclesiae Teanensis decanus Michael BROCCOLI de Teani Sidicini historia sex voluminibus (Neapoli 1824) exposuit, primi secundam quoque editionem paravit inscriptam: *Teano Sidicino antico* (Neapoli 1825. 8. pp. 396), non tantum in describendis lapidibus infelicem amicum Zonam feliciter aemulatus, sed tantopere sibi placens, ut ineditarum inscriptionum propter spatii angustias prima quaeque verba poneret bellasque quas paraverat animadversiones adiceret, inscriptiones ipsas omitteret. Quem qui vesanum iudicabit, me certe non habebit contra dicentem. Ego cum Teani morabar bis a. 1846 et a. 1876 feci quod potui ut a prioribus neglecta supplerem.

4779 [= 3987] Teani e regione S. Francisci
STEPH.; *alla chiesa di S. Francesco* BVRL.

HELVIA · L · F · GALLA
IVNONI · SACRVM

Stephanonius f. 183 (inde Gud. ms. 659, 5, ed. 13, 11; Don. 1, 14, ex eo Mur. 14, 3); Burlamacchi apud Pacichellium 1, 458; Pratilli p. 229; Hoare 1, 252.

Eiusdem nominis femina nominatur in titulo Aquileiensi vol. V n. 1246.